



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1776**

**VD18 90118820**

§. 102. Regina in Regni administratricem renuntiata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](#)

fensim mos patriæ fiat. Ceterum ipse- Sæc. XVII.  
 met Rex non raro suam damnabat im- A. C. 1610.  
 becillitatem, nec de hoc vitio liberius  
 illum increpantibus indignabatur, minus  
 vero permittebat, ut mulieres illæ, quæ  
 non sine conjugalis fidei dispendio in  
 Regium cor, suum exercebant Domi-  
 nium, de selectu Ministrorum, aut de  
 forte suorum famulorum, aut de sen-  
 tentiis sui Senatus deciderent. Insimu-  
 latur etiam de nimia ludendi cupiditate,  
 mansuetudine in ignaviam degenerante,  
 & avaritia Regiæ Majestatis indigna.

### §. CII.

#### *Regina in Regni Administratricem renuntiata.*

**R**eliquerat Henricus Rex ex Maria <sup>Joann.</sup>  
 Medicea secunda uxore sua præter <sup>Serres hist.</sup>  
 tres filias totidem Filios, ex quibus <sup>Reg. Franc.</sup>  
 Ludovicus XIII. natu major nondum <sup>Rigault l. 3.</sup>  
 novem annos natus capeſſendis Regni <sup>p. 289.</sup>  
 habennis impar erat: quo circa eadem <sup>Abregé de  
lhist. Eccl.</sup>  
 adhuc die, qua Rex trucidabatur, om- <sup>art. 3. §. 13.</sup>  
 nes Curiæ ad Conventum Augustinia- <sup>Hist. du Par-  
norum convocantur, quibus congre- <sup>lem. cap. 44.</sup>  
 gatis Esperonius Dux exposuit, quod  
 Regina sibi Regni administrationem  
 committi postulet: His dictis Dux ma-  
 num gladio suo admovens, adhuc, in-  
 quiebat, *in vagina hæret, quem tamen,*  
*nisi*</sup>

Sæc. XVII. nisi Regina, cætu vestro nondum dissoluto,  
A.C. 1610. in Regni Moderatricem declarata sit, eva-  
ginare oportebit: intempestiva est prudentia  
illorum, qui tempus deliberandi expetunt,  
quod hodie fieri potest sine damno, cras sine  
cæde fieri haud poterit. Obsidebant præ-  
terea Conventum satellitum agmina,  
non ut suffragiorum libertatem fulci-  
rent, sed consensum præcipiti conclu-  
matione maturarent. Eapropter cum  
nondum tertia a cæde Regis effluxisset  
hora, jamjam Senatus consultum pro-  
mulgatur, vi cuius Regina Vidua Gal-  
lici Regni habennas interim moderari  
rogata est, donec Filius adolevisset, per  
ætatem gubernaculo impar. Altera  
die Regina Mater cum Filio suo Rege  
ad supremam Regni Curiam delata Se-  
natores his verbis allocuta est. Postquam  
*Viri Principes, Deo visum est, tam mis-  
trando vitæ exitu Regem nostrum mo*  
potus Patrem ad se vocare, placuit Filium meum  
Regem vestrum adducere, vosque orare, ut  
pro fide officioque vestro curam illius velitis  
fuscipere, ad quod præstandum vos obstrin-  
git defuncti Regis memoria, officii vestri  
ratio, & salus totius Francie. His præ-  
lacrimis, ita sunt molles in calamitate  
mortaliū animi, truncate pronunta-  
tis, loquentem excipiebat Filius Rex,  
hæc subjungens: cum placuerit Deo, Re-  
gem Patremque meum ex caduco throno ad  
caeleste

cælestis solium transferre, huc veni, ut vobis coram exponerem, promptum paratumque me, vestris consiliis monitisque obtenerare, spe fretus, ut cum exemplis, monitisque vestris optimi Parentis mei instructus & mihi ipsi & vobis prodeesse queam: nunc autem sine mora de iis rebus deliberate, quas meo jussu Cancellarius meus vobis expositurus est. His dictis Cancellarius ac supremæ Curiæ Præses actis Regi gratiis conventum solverunt: Ab eo tempore summa rerum erat penes Conchinum natione Hetruscum, & Galigaiam ejus uxorem, Curia vero, seu ut vocant, Parliamentum haud absimile erat vasi pretioso, quod ad pompam & ostentationem quandoque extrahitur, finita autem festivitate reconditur; quippe ejus auctoritati nil aliud relicturn videbatur, nisi condemnare libros, in quibus Pontificis auctoritas in Reges stabilita credebatur.

### §. CIII.

#### *Ravaillacus Sicarius quæstioni subjektus.*

Interim Franciscus Ravalliacus, execratus hoc naturæ monstrum, ne-  
farius ille Regicida Joannino Præsidi aliisque quæstioni subjiciendus traditur: Erat hic bipedum pessimus, patria Eng-

Mezer.  
tom. 7.  
pag. 616.  
Peregrin. hist.  
Henr. Magn.